



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Davidis Regii Prophetae Psalterium**

**Moritz <Hessen, Landgraf>**

**Smalcaldiae, 1593**

**VD16 B 3258**

Psalmvs LXI. Exaudi Deus deprecationem &c.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-68864](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-68864)

*Quis me deducet per fortes mœnibus vrbes,  
Quis mihi pandet iter per loca fortis Edom?  
Tu Deus hoc facies: nobis licet antè repulsis,  
Prælia dum longum te duce nostra carent.  
Tu fer opem nobis: Duce te superabimus hostes,  
Non venit humanis viribus vlla salus.  
Auxiliante Deo victricia signa feremus,  
Cuncta iuuante Deo castra inimica cadent.*

PSALMVS LXI.

Exaudi Deus deprecationem &c.

**E**Xaudi querulam mœsto de pectore vocem,  
Desertiq; preces accipe, sancte Deus.  
Ceu procul à terris ad te suspiria tollo,  
In tuta ipse meos sistito rupe pedes.  
Tu mihi perfugium fidum es munitaq; turris,  
Infesto eripiens hostis ab ense mali.  
Perpetuò in sacri versantem fœderis ade,  
Et tibi confisum protegat ala tua.  
Auribus exaudis, pater, ut pia vota, benignis,  
Sic qui te metuunt, munera larga ferunt.  
Te seruante, diu durabit vita Dynasta,  
Ut sua connectat tempora temporibus.

Ante

*Ante tuam ut teneat faciem felicia sceptrā,  
Sit bonitas custos ipsius atq; fides.  
Sic mea vox nunquam tibi psallere desinet, aris  
Perpetuoq; feram vota sacrata tuis.*

PSALMVS LXII.

Nonné Deo subiecta erit anima &c.

*S*It mea vita licet mille irretita periculis:  
Foua mihi est rupes, spes mea firma Deus.  
Est etenim clypeus, firmissima turris, asylum,  
Vnde mihi casus non nocuere graues.  
Tenditis insidias cur tot mihi, tamq; diurnum,  
Ceu fragili muro, ut concidat ante diem?  
Opprimar ut facile à multis, mendacia fingunt,  
Nectar in ore ferunt, corde venena fouent.  
At mea spes Deus est, anima huic innititur vni,  
Nam mihi praesidio est semper & auxilio:  
Arx mea, perfugium, scutum, firmissima turris,  
Quem metuam casum, te releuante Deo?  
Tu mea spes, roburq; meum, mihi puppis et aures,  
Grande decus, dulcis gloria, certa salus.  
Sperate in Domino, coram hoc effundite corda,  
Inuictum auxilium non aliunde venit.

Q

Sunt